

V. Hoc unitatis sacramentum, hoc vinculum concordiae inseparabiliter cohaerentis ostenditur, quando in evangelio tunica Domini Iesu Christi non dividitur omnino, nec scinditur, sed sortientibus de veste Christi, quis ipsam potius indueret, integra vestis accipitur, et incorrupta atque indivisa tunica possidetur. Loquitur ac dicit scriptura divina: De tunica autem, quia de superiore parte non consutilis, sed per totum textilis fuerat, dixerunt ad invicem: non scindamus illam, sed sortiamur de ea, cuius sit. Unitatem illa portabat de superiore parte venientem, id est, de coelo et a patre venientem; quae ab accipiente ac possidente scindi omnino non poterat, sed totam semel et solidam firmitatem inseparabiliter obtinebat. Possidere non potest indumentum Christi, qui scindit et dividit ecclesiam Christi. Contra denique cum, Salomone moriente, regnum ejus et populus scinderetur, Achias propheta Ieroboam regi obvius factus in campo, in duodecim scissuras vestimentum suum discidit, dicens: Sume tibi decem scissuras, quia haec dicit Dominus: Ecce scindo regnum de manu Salomonis, et dabo tibi decem sceptra, et duo sceptra erunt ei propter servum meum David, et propter Hierusalem civitatem, quam elegi, ut ponam nomen meum illic. Cum duodecim tribus Israël sciderentur, vestimentum suum propheta Achias discidit. At vero quia Christi populus non potest scindi, tunica ejus per totum textilis et cohaerens, divisa a possidentibus non est. Individua, copulata, connexa, ostendit populi nostri, qui Christum induimus, concordiam cohaerentem; sacramento vestis et signo declaravit ecclesiae unitatem.

VI. Quis ergo est sic sceleratus et perfidus, quis sic discordiae furore vesanus, ut aut credat scindi posse, aut audeat scindere unitatem Dei, vestem Domini, ecclesiam Christi? Monet ipse in evangelio suo, et docet, dicens: Et erit unus grex, et unus pastor. Et esse posse uno in loco aliquis existimat aut multos pastores, aut plures greges?